



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Quæstio 2. Quibus modis acquiratur beneficium actu, seu jus in beneficio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



FORI BENEFICIALIS

PARS ALTERA.

De provisione & acquisitione beneficiorum.

CAPUT PRÆAMBULUM.

DE MODIS PROVIDENDI ET ACQVIRENDI BENEFICIA IN GENERE.

Quaestio 1. Quotupliciter acquirantur beneficia?



Espondeo : dupliciter , nimirum actu, & in potentia, quod idem est, ac acquirere jus in beneficio, & acquirere jus ad beneficium, Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 1. n. 1.* Porro jus in beneficio differt à jure ad beneficium;

quòd vi juris in beneficio beneficiatus obtineat potestatem administrandi illud, illudque sit proprium illius, etiam ante captam beneficii possessionem, quorum nihil tribuitur vi juris ad beneficium. Castrop. *ibidem. n. 18.* citans Vasq. *in opus. de benef. c. 4. s. 4. dub. 1.* Covar. *var. resol. l. 3. c. 16. n. 3.*

Quaestio 2. Quibus modis acquiratur beneficium actu, seu jus in beneficio?

Respondeo : tribus; Electionis confirmatione (quo refertur postulationis admissio) institutione, collatione. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Azor. *institur. mor. p. 2. l. 6. c. 22.*

Quaestio 3. Quibus modis acquiratur beneficium potentia, seu jus ad beneficium?

Respondeo sequentibus: primò electione, secundò præsentatione.

2. Tertio vigore gratiæ expectatiæ, quâ nimirum conceditur alicui, ut præbendam vacantem, quam maluerit, obtineat; ita tamen ut hæc gratia jus ullum considerabile tribuat, debeat esse acceptata, cum ante acceptationem sit revocabilis à concedente. Castrop. *loc. cit. n. 9.* citans Garc. *de benef. p. 4. c. 3. n. 14.* Gonz. *gl. 26. n. 20.* Mandos. *reg. 3. q. 14. num. 3.* quamvis hoc jus ex acceptatione expectantis non sit ita considerabile, ut de eo fieri debeat mentio in impetratione, seu reservatione facta à Papa de tali beneficio, aut præferretur per clausulam in literis de beneficiis vacantibus apponi solitam vel subintellectam: *modò non sit in eo alicui jus questum* (sicut aliàs per eam, præ-
P. Lewren. *Fori Benef. Tom. II,*

servatur jus, etiam ad rem, quæsitum alio modo, puta, per electionem, præsentationem.) Garc. *loc. cit. n. 18. & seq.* & ex eo Castrop. *loc. cit.* cum enim expectatiæ concessa non sit pro aliquo determinato beneficio, non videtur magnopere isti gratiæ derogari per dictam reservationem vel impetrationem, dum expectanti saluum manet jus utendi, datâ sibi expectatiâ in aliis beneficiis. Castrop. *ibid.*

3. Quarto, vigore gratiæ expectatiæ concessæ recepto in Canonicum, seu vi mandati de providendo tali de prima præbenda vacatura; quia vi hujus juris cogere potest, ut sibi vacans præbenda conferatur. Castrop. *loc. cit. n. 10.* Garc. *loc. cit. n. 16.* juxta *c. si postquam. de præb. in 6.* Verùm modò per Trid. *sess. 24. c. 19.* omnes istæ expectatiæ & mandata de providendo beneficio vacaturo sunt sublata. Unde eligi nequit Canonicus supernumerarius cum expectatiâ ad præbendam proximè vacaturam, nisi fortè in ea Ecclesia, ubi immemorialis talis consuetudo vigeret, Castrop. *n. 11.* Gonz. *ad reg. 8. s. 1. proæn. n. 64.* Garc. *p. 6. c. 1. num. 5.*

4. Quintò, collatione nondum acceptatâ. *c. si tibi absenti. de præb. in 6.* quia factâ collatione, conferens retrocedere non potest, sed debet consensum collatarii expectare intra terminum datum ad consentiendum, secus ac in aliis donationibus, in quibus ante acceptationem donatarii datur illi jus poenitentiae: quia in beneficiis conferens disponit ex officio & obligatione, in rebus autem aliis ex voluntate. Castrop. *n. 12.* citans Gonz. *gl. 26. num. 4.* Vasq. *loc. cit.*

5. Sextò, reservatione beneficii in favorem alicujus acceptantis hanc reservationem; quia per talem reservationem adjudicatur ei beneficium. Castrop. *loc. cit. n. 12.* Garc. *p. 4. c. 3. n. 43.*

6. Septimò, consuetudine seu privilegio optandi præbendam pinguiorem vacantem. Castrop. *num. 13.* Garc. *num. 45.* non tamen requiritur, ut prius præbenda vacet, aut sit acceptata, quam sit debita, cum illa facultas optandi pinguiorem præbendam sit veluti quoddam mandatum de providendo, concessum, v.g. antiquiori de aliqua determinata